



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Discrimen inter Orpham & Ruth.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

IV.
Ruth, 1. 8.

Vis alias duas animas molentes in mola videre, quarum vna assumpta, altera relicta fuit? intueri Orpham, & Ruth eius vel sociam, vel sororem. Neque enim in vna modò ciuitate, & inter eosdem idololatrias educata, sed etiam, vt quidam, apud Abulensem, volunt, eadem matre nata fuerunt, cum Noëmi ad illas dicat: *Ite in domum matris vestrae*, non matrum vestrarum; quod dicere oportebat, si duas matres habuissent. Haec duae sorores duobus nupserant fratribus ex filiis Israël, filiis Noëmi. Igitur ambae eandem à Deo habuerunt vocationem; ambae sororum suam Noëmi poterant comitari, & adeò veræ religionis legem amplecti: ambae iisdem tentationibus fuerunt agitatae: ambae amor patriæ, ambae parentis affectus, ambae notorum amicorumque familiaritas, ambae Deorum suorum inueteratus cultus domum retrahebat, impediēbatque ne Noëmi sequerentur. Et tamen vtriusque factum, consiliūque fuit planè diuersum. Orpha maior natu, tentationibus succubuit, & ad idola rediuit; Ruth natu minor, tentationibus superior idola deseruit, & triumphauit. Cur id & altera facere non potuisset? Non fecit; in causa fuit, noluisse.

V. Mitto Iosephi innocentiam, & mansuetudinem, fratrumque eius malitiam atque immanitatem. Eodem patre omnes fuere geniti, non tamen eadem virtute præditi, in diuersum abierunt; non quò eos Deus traxit, sed quò liuor & vindicta impulere. In regibus id ipsum ostendo, & quidem primis illis, Saule & Dauide. Corruit domus, non stetit regnum Saulis, non corruit domus, sed stetit regnum Dauidis. Vterque rex, & quidem eiusdem populi, enimuero à Deo vocatus, & imperio vinctus fuit; sed non vterque super eodem fundamento regnum adificauit. Ille, spreta obedientia Deo debita, mantelo quodam religionis, & prætextu sacrificandi, suo iudicio nixus, vt faceret, quod vellet; quod Deus voluit, non fecit. Melius lirasset, si voluntatem potius, quàm boues, obtulisset. David sceptrum stabiluit, quia cor suum secundum cor Dei direxit. Potuisset, & Saul cor suum sic aptare. Sed non erat illi commodum differre victimas; ira more communissimo magnatum nõ se religioni, sed sibi religionem accommodauit; hoc est, non voluit ipse
Deo,

1. Reg. 15. 23.